Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

agis. Non recedat volumen legis huius
de ore tuo: sed meditabis in eo diebus ac
noctibus: ut custodias et facias omnia
que scripta sunt in eo. Tunc diriges viam
tuam et intelliges eam. Ecce precipio
tibi: confortare et esto robustus. Noli me-
tuere et noli timere: quoniam tecum est dominus
deus tuus in omnibus ad quecumque perrexis.
Precepitque Iosue principibus populi sui di-
cens. Transite per medium castrorum et
imperate populo ac dicite. Preparate vobis
cibaria: quoniam post diem tertium transi-
bitis iordanem et intrabitis ad possi-
dendam terram quam dominus deus vester da-
turus est vobis. Rubenitis quoque
et gaditis et dimidie tribui manas-
se ait. Mementote sermonis quem pre-
cepit vobis moyses famulus domini
dicens. Dominus deus vester dedit vobis
requiem et omnem terram. Uxores vestre
et filii vestri ac iumenta manebunt in terra
quam tradidit vobis moyses trans
iordanem. Vos autem transite armati
ante fratres vestros omnes fortes manu.
et pugnate pro eis. donec det requiem
dominus fratribus vestris. sicut et vobis
dedit: et possideant ipsi quoque terram
quam dominus deus vester daturus est eis.
et sic revertemini in terram possessionis vestre:
et habitabitis in ea quam vobis dedit
moyses famulus domini trans iordanem
contra solis ortum. Responderuntque ad Io-
sue atque dixerunt. Omnia que precepis-
ti nobis faciemus: et quocumque miseris
ibimus. Sicut obedivimus in cunctis
moysi: ita obediemus et tibi. tantum sit
dominus deus tuus tecum. sicut fuit cum
moyse. Qui contradixerit ori tuo. et non
obedierit cunctis sermonibus tuis quos
preceperis ei. moriatur. Tu tantum confortare
et viriliter age. · II ·
Misit ergo Iosue filius nun de
sethim duos viros explora-
tores in abscondito: et dixit eis.
Ite et considerate terram. urbemque iericho.
Qui pergentes ingressi sunt domum
mulieris meretricis nomine raab: et quieverunt
apud eam. Nunciatumque est regi iericho
et dictum. Ecce viri ingressi sunt huc
per noctem de filiis israel: ut explorent
terram. Misitque rex iericho ad raab
dicens. Educ viros qui venerunt
ad te: et ingressi sunt domum tuam. Ex-
ploratores quippe sunt: et omnem terram
considerare venerunt. Tollensque mulier
viros abscondit. et ait. Fateor venerunt
ad me: sed nesciebam unde essent. Cumque
porta clauderetur in tenebris: et illi pariter
exierunt: nescio quo abierunt. Per-
sequimini cito et comprehendetis eos. Ipsa autem
fecit ascendere viros in solarium domus
sue: operuitque eos stipula lini que ibi
erat. Hii autem qui missi fuerant secuti
sunt eos per viam que ducit ad vada
iordanis. Illisque egressis. statim porta
clausa est. nec dum obdormierant
qui latebant. Et ecce mulier ascendit
ad eos. et ait. Novi quod tradiderit dominus
terram vobis. Etenim irruit in nos
terror vester: et elanguerunt omnes habita-
tores terre. Audivimus quod siccaverit
dominus aquas maris rubri ad vestrum intro-
itum. quando egressi estis de egypto: et que
feceritis duobus regibus amorreorum qui
erant trans iordanem. seon et og. quos
interfecistis. Et hec audientes pertimuimus.
et elanguit cor nostrum: nec remansit in
nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus
enim deus vester ipse est deus in celo sursum.
et in terra deorsum. Nunc ergo iurate mihi per
dominum deum: ut quomodo ego feci vobiscum
misericordiam: ita et vos faciatis cum domo
patris mei: detisque mihi signum verum
ut salvetis patrem meum et matrem.
et fratres et sorores meas. et omnia que eorum
sunt: ut eruatis animas nostras de mor-
te. Qui responderunt ei. Anima nostra sit
pro vobis in mortem: si tamen non prodideris
nos. Cumque tradiderit dominus vobis terram:
faciemus in te misericordiam et veritatem.